Ad

# studiosam juventutem,

pro

## felici anni auspicio.

Disticha quædam

*Philippi Melanchthonis*).*

---

Vere *Deus* sapiens, verbo qui cuncta creasti,
et certis annum legibus ire jubes;
cumque velis pulchri metae spectentur ut anni,
miranda solis Tu regis arte vias:
*Effice ut iste Tuo nobis sit numine felix*
*annus, qui novus hoc incipit esse die!*
*Da pacem, vigeantque bonæ, Te præside, leges;*
*ac Evangelii nos rege luce Tui!*
Infirmum scis esse gregem, qui dogmata discit,
vivifica gnati tradita voce Tui.
*Adsis in nobis igitur custosque paterque,*
*nulla venit nobis, Te nisi dante, salus.*
Et quia Tu legum fons, pulchri ac ordinis autor
es *Deus* et custos legitimi imperii:
WILHELMO tribuas longa et felicia regni
tempora, da, *faustus* sit *pater* ut *patriæ*!

---

*) Communis illius olim Germaniae praeceptoris, in fine contracta paulum et mutata, post tria fere sæcula typis reddenda putavi, parvam hancce strenam adprime Lycei Gymnasiique Fuldensis civibus offerens, quibus in anni primordiis adclamo:

"Novum per annum pergite jam datas
manus labori continuas darè!
Novos in ausus expediti,
ingenuas stimulate mentes!"

Fuldae. Cal. Jan. MDCCCXXIV. Petri.

33